

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Stephan Scultetus Heinrich Wendt

## **Disputatio Medica De Variolis**

Rostochi[i]: Kilius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730119572>

Druck Freier  Zugang



R U. med. 1647  
Stephan Schüttetur. Arz.  
Kunig. Wendt Rest





DZ

DISPUTATIO MEDICA  
*De*  
**VARIOLIS,**  
*Quam*  
**ADJUVANTE DIVINA**  
GRATIA, IN ACADEMIA  
PATERA  
SUB PRÆSIDIO  
*Clarissimi atq; Experiensimi Viri,*  
**DN. STEPHANI SCHULTETI,**  
Med. D. & P. P.  
Publicæ disquisitioni subjicie

HENRICUS Wendt Rostochiensis,  
*Ad diem 10. Aprilis, horis matutinis,*  
*In Auditorio Majori.*

Typis NICOLAI KILI, Academ. Typogr.  
ANNO M. DC. XLVII.

ROSTOCHI,

43      1642

Typis NICOLAI KILI, Academ. Typogr.  
ANNO M. DC. XLVII.



*Amplissimo ac Consultissimo Viro,  
Dn. CHRISTOPHORO STEPHANI  
Cancellario Sunnenburgensi Magni-  
fico, & Ordinis Equestris per Neomar-  
chiam Syndico,*

*Affini, Fautori ac Promotori suo plurimum  
honorando.*

Medicum hoc Exercitium in debitæ  
gratitudinis & observantiaꝝ ~~supradictorum~~  
reverenter dedicat & offert

Henricus Wendt/Rost.

THESES I.

**H**orrendum planè ac foedum malum est, quod Variolarum nomine Medicis intelligitur: quippe cuius vi multa hominum millia in tenera ætate extinguntur, adeò ut parentes de prole, nisi variolis superatis, gaudere non posse omnibus persuasum sit. Multi, qui convalescunt, sensuum motusq; in partibus nonnullis jacturam faciunt: neq; rarum est, pueros ex variolis perdere visum, auditum, claudicare, foedis deformari cicatricibus, loquela pati vitium, fieri tabidos; quin & erosis ossibus ulcera partibus supervenire insanabilia iis, quæ à lue Venerea sunt, non absimilia.

2. Antiquis Græcorum Latinorumq; Medicis num cognitæ fuerint variolæ, otiosum videtur, si quæras & præter rem dissentium. Antiquos plura novisse, quam jactare, pro modestia illius ævi, voluerunt, palam est, unde non dubitamus eos cognovisse variolas, curasse etiam, licet nihil ea de re scriptis mandatum ad nos transmiserint. Novum namq; morbi genus esse non credimus, nova verò symptomata ab eo tempore induisse, non videtur absurdum.

3. Rectius longè laboratur in constituendo variolarum genere, quod quidem, pro vario considerandi modo, non unum est. Cùm enim tria sint rerum, ad quas omnes omnino affectus præter naturam reducere oportet, genera, morbus nempe, causa morbi & symptomata, plurimum sane refert scire, ad quam classem variolæ referri debeant: modo enim morbi rationem habere deprehenduntur, modo symptomatum, modo causatum, pro varia partium affectarum natura.

4. Quamvis autem ferè semper morborum nomine describamus variolas, in genere proximo tamen assignando non minus controvenerit, quam in remoto illo. Sunt ex doctissimis, qui febribus, adeoq; in temperiei morbis accensent variolas, cum per modum *ugionis* & vix unquam sine febri erumpere videantur, quam primariam esse & magnitudinis non expertem recte judicant. Major pars organicis morbis

A 2 subij-

subiicit, & vel ad morbos asperitatis, vel magnitudinis auct<sup>æ</sup> referre contendit, vel ad utrumq; simul.

Variola  
quid e

5. Quam sententiam sequentes dicimus, variolas esse pustulas ex ebullitione sanguinis in vasis peculiar modo inquinati, & robore facultatis expultricis in cute, communi corporis velamento, enatas. Quæ dum afferimus, non improbamus illorum institutum, qui febris malignæ speciem, quam variolæ comitentur, malum hoc constituunt: in primis, cum veteres ita sensisse videantur.

6. Subjectum variolarum ponimus cutem, quod illa communiter tuberculis ejusmodi horreat, sitq; salutare ad hanc corporis superficiem inimicam naturæ materiam extrudi. Non sunt tamen immunes partes quoq; internæ, si vel corruptio humorum fuerit magna, vel virtus in expellendo defecerit.

7. Causa proxima consistit in ebullitione sanguinis peculiar modo inquinati, quem natura citra perniciem subjecti ægrotantis ferre non potest, ac proinde exitiale illud inquinamentum cum parte quadam humoris corrupti per modum queradum κρότως foras protrudit. In qua re dissensus auctorum terè nullus est.

Quæ

causa?

8. At unde illa effervescentia & corruptio humorum existat; utrum causa istius motus in corpore lateat, an verò aliunde accedat, id est, quod vel maximè queritur. Vetustissimi artis nostra Doctores quid senserint, obscurum est, uti ex antecedentibus liquet: Arabes, quos densis agminibus Medici sequuntur, vernacula molbi hujus causam omnes in corpore gestare censuerunt.

9. Docent namq; illi, originalem variolarum causam esse impuritates sanguinis materni, quô infans in utero nutritus fuit, à primo ortu suscep<sup>t</sup>as, quæ, cum membris solidis inhærent, nec à natura vinci aut elaborari ullo modo possint, quacunq; de causa impulsæ in sanguinis massam effunduntur, & hujusmodi ebullitionem, illamq; sequentes in ambitu corporis papulas excitant.

10. Quæ sententia cum vim argumentorum, quibus urgetur, sustinere non possit, consultò ab Arabum placitis recedimus, & impuritates sanguinis materni, quæ hic præsupponuntur, concedere nulli possumus: experientiâ enim teste, ipsoq; Galeno 3. Epid. com. 3. t. 73. constat, infantem in utero non ali vitioso sanguine, sed optimam ejus partem, nutritio-

ditionis causâ ad se allicere, impurorem verò non attingere, quippe  
quæ sensim coacervata in partu lochiorum formâ effunditur.

3

11. Deinde idem plane nutrimentum est, quô foetus alitur à matre  
in utero, & quô extra uterum forma duntaxat externa mutata, quæ hîc  
actis est, illic sanguinis immediate. Oportet itaq;, cum eadem utriusq;  
ilimenti & ratio & materia sit, ut infans ex esu lactis materni æquè lœdat  
tur, ac embryo ex sanguine, adeò ut, si forte uno, aut altero à  
partu mense infans variolas excusserit, sequentibus diebus tantundem  
caussæ morbificæ rursus imbibat. Immò sequitur eos, qui diu hærent ad  
ubera materna, périculosius semper decumbere, parumq; illos, qui pa-  
rum lactent, contrà quam experientia observatum est evenire.

12. Adhæc fatentur, qui sententiæ istius patroni sunt, labem illam in  
utero materno contractam in actum deduci non posse absq; extero a-  
gente, sive caussâ illa cœlestis fuerit, sive contagium, sive alia ejus gene-  
ris. Quoipso parum abest, quin causam suam deserant, cum vim eo mo-  
do in corpus humanum agendi manifeste aliudè deducant, & quidem  
à caussis externis.

13. Et, si à sanguine materno sunt variolæ, cur non omnes illi, qui ex  
eadem matre nati sunt, gemelli præcipue, pari vehementiâ affliguntur  
variolis? Cur alii per totam vitam variolas non experiuntur, alii bis ter-  
ve? Certè oportet illos vel sanguinem maternum non hauisse, vel la-  
borasse variolis sine variolis, hos verò duplum ejus, triplumve acce-  
pisse.

14. Sequitur deniq; si sanguinis materni vitium tam feedi mali cau-  
sa est, matres infirmas & corpore languido gignere liberos variolis ma-  
gis obnoxios, quam vegetas & quæ sunt viribus firmis: quomodo enim  
ægra mater non scatebit vitiosis succis? Verùm experientia docuit, infan-  
tes natos matribus rectè valentibus æquè infestari variolis, ac reliquos, &  
non raro vehementius. Neq; ratio ulla reddi potest, cur non matres ipsæ  
morbo affiantur, cuius seminaria in foetum transfundere dicuntur.

15. Et proinde malumus sentire cum illis, qui variolas morbis Epi-  
demii, malignis & contagiosis annumerant, quorum origo est ex caussa  
quadam communi & cœlesti uta affecta, ut in teneram præcipue savyat  
ætatem. Et hanc quoq; veterum fuisse mentem omnino putamus, uti  
jam supra docuimus.

A 3

16. In-

16. Invadunt enim variolæ eodem planè modo, ac reliqui morbi populares & maligni, quoq; anni tempore & per se nec æstate ingruunt promptius, nec hyeme arcentur penitus. Sæpè nusquam comparent, & post aliquot demum annorum intervalla redeunt, suntq; alio tempore perniciosiores, alio minus. Ipsa quoq; locorum diversitas facit, cur non eadem vehementia ubivis sœviant, unde non derogamus fidem historiis, quibus memoratur, incolas quarundam regionum in novo orbe ferè extintos fuisse variolis acris infecti via.

17. Corripiuntur autem facilimè pueri quod dispositio illis adhunc morbum sit major, minusq; resistere possit malignitati habitus eorum mollis, rarus & laxus: forsitan etiam, quod pleriq; eorum morbis communibus antea non tentati fuerint. Verum si magna mali vis fuerit, nec adultiores ab eo immunes sunt, testaturq; experientia & quadragenarios & sexagenarios variolæ fuisse oppressos, quibus si id ex impuris sanguinis materni reliquiis accidisse dixeris, næ tu rediculus omnibus habebaris.

18. Hinc quoq; felicius longè expedietur quæstio, cur quidam variolæ planè non laborent: est namq; ea malignitatis natura, ut plerumq; aliquos in domo vel familia intactos relinquat, quod pestis exemplo compertum habemus. Et certè, non ex vernacula aliqua causa promovere variolas, velex ipsa curatione patet, quam maximè alexipharmacis & malignitati adversantibus molimur ad modum morborum, qui ex hujusmodi causa enascuntur.

19. Neq; mirabimur, infantes corripi hoc malo, qui ferendis iuriis aeris nondum assueti sunt, cum videamus adultos etiam, si cœlum sensibiliter mutaverint, ex hac causa per sepe ægrotare, si non primo statim anno, at certè sequentibus, quorum tamen nullus eam subiit ambientis mutationem, quam infantes subeunt ex utero emissi, videaturq; idem propè illis accidere, quod venientibus ex Europa in Javam majorem, qui omnes certo genere papularum cum dolore & pruritu molestissimo erumpentium afficiuntur, quod malum indigenis nec endemium est, nec epidemium unquam, corripitq; sojum illos, qui aliunde adveni nuper terram Javanam sunt ingressi.

20. Plu-

20. Plurimum verò hue facit contagium, cuius occasione & facilimè & frequentissimè disseminantur variolæ inter eos, qui temperamento, vel ærate non multum distant: habet enim contagium sat vi-  
rium ad producendum similem mōrbum in alio corpore eodem modo affecto. Quod quidem potissimum contingit, quo tempore pu-  
stulæ suppurantur: tunc enim noxiæ *μιάση ματα* capiose exhalant, insciuntq; simili affectu corpora disposita & quæ resistere ingruenti ho-  
sti non valent.

21. Exeunt variola in ægrotantibus aliis citius in aliis tardius, pro-  
ut vel virtus expultrix fortis fuerit, vel habitus corporis rarus, viæq; li-  
beræ atq; expeditæ. Alias tempora universalia variolarum duo consti-  
tuuntur, alterum ebullitionis, alterum eruptionis. Tempus ebullitionis  
rursus habet principium, augmentum, vigorem & declinationem:  
principium est dies primus, augmentum secundus, vigor tertius, decli-  
natione quartus. Similiter & tempus eruptionis suas habet partes: prin-  
cipium est dies quartus, augmentum excurrit in septimum, octavum,  
quandoq; in nonum: nono, decimo, vel undecimo status viget,  
deinde succedit declinatio, cum pustulæ exarescant squamulis deci-  
dentibus.

22. Imminere periculum variolarum nemo non novit, quando po-  
pulariter grassantur, cum, qui male habere incipiunt, eodem medo  
afficiuntur, ac illi, qui jam evaserunt, in primis si conversatio cum in-  
fectis præcesserit. Verum non raro res obscurior est, ac proinde Medi-  
ci triplicem symptomatum fontem inspiciunt, actionum nempe lesa-  
rum, qualitatum mutantarum & excretorum, quibus instans affectus  
haud difficulter prævideri potest. Præcedere namq; solent: Dolor  
capitis, dolor dorsi, aliarumq; partium, deliria, pavores in somno, Con-  
vulsiones Epilepticae, pruritus narium, gravitas & tensiva lassitudine to-  
tius corporis. Adhac spirandi difficultas, palpitatio cordis, tussis sicca,  
nausea, vomitus, nec non rubor faciei, stillicidium sanguinis è naribus,  
lacrymæ sponte fluentes. Quorum quædam ex vaporibus sanguini-  
nis ebullientis, quædam ex ejusdem acrimonia & fervore excitan-  
tur.

23. De eventu & utrum variolæ salutares, an exitiales futuræ sint,

judi-

Signa

dia.

gne.

stica.

judicabit Medicus ex robore naturæ, morbi & symptomatum, quæ morbum comitantur, vehementia. In specie verò bonum est signum, si citè erumpant variolæ, die nimirum tertio vel quarto: arguitur enim naturæ robur & materiæ obedientia. Item si non dispareant, non retrocedant semel egressæ: si tempestivè maturentur, paucæ sint atq; externas occupent partes: si alba & eminentes, febrisq; non sequatur, sed antecedat, illisq; apparentibus mitescat. Si deniq; vires constent, sensus sint salvi, respiratio libera, & rectè sese habeat somnus ac appetitus.

24. Periculosa verò variolæ censendæ quæ tardè proveniunt, cum vel expultricis debilitatem, vel materiæ pravitatem id denotet; quæ item sine manifesta causa retroactæ rursus evanescunt, certo argumento virtutem esse dejectam. Malum præterea, quando coloris viridis, violacei, nigricantis & difficilis suppurationis: quando non hinc inde dispersæ, sed continuæ, adeò ut plures in unum coalescere videantur.

25. Meritò quoq; suspectæ sunt, quæ partes internæ obsident, atq; in specie, quæ oculos, nares, fauces, pulmones, intestina, aliasq; affligunt partes: minatur enim coecitatem, respirandi ac delglutiendi difficultatem, nec non dysenteriam. Si item febris & symptomata post eruptionem non cessent, sed alia potius superveniant, quæ principio non fuerunt.

26. Ita de causis & signis variolarum ratiocinamur, à quibus si tutus planè præstari posset homo, res ea magni certè foret æstimanda, levaretq; multis curis ac doloribus parentes. Verum cum tam frequenter in teneram ætatem sœviat hoc malum, sitq; ea contagii natura, ut non tantum immediate corpora similiter constituta inficiat, sed per illos quoq; qui cum ægrotis versantur, in alios disseminari possit, frustra terè in eo avertendo laboratur. Omnipotè tamen utilem, immo maximè necessariam judicamus illam præservingandi curam, quando admodum malignæ sunt variolæ & plures solito vel è medio tollunt vel graviter lœdunt, minor verò mali vis si fuerit, hac sollicitudine opus non est. At particularium quarundam partium τερπόλαξι, ferè semper rectè instituimus, curamusq; ne videndi ac respirandi organa, itemq; intestina detrimenti quidquam capiant.

27. Curationis scopi tres præcipue sunt, quorum aliis spectat ægri statum antequam erumpant variolæ, aliis ipsam eruptionem, aliis deniq; statum, qui est post earundem egressum. Ante eruptionem ad febrim & caussam mali respiciendum, dandaq; opera, ut quæ naturæ motibus obstatere possunt, in tempore removentur, ipseq; fervor ac ebullitio sanguinis, si enormior sit, periculumq; minetur, ex parte sistatur. In ipsa expulsione naturæ rectè agenti opem ferre oportet viresq; robotandæ, si langueant, & malignitati per convenientia alexipharmacæ resistendum; quæ quidem unâ operâ peragi plerunq; possunt. Interim partibus, quas modò nominavimus, idonea ~~τε~~ Φύλαξις adhibenda: symptomata graviora omni industria avertenda: solent namq; & hic & postea sàpè urgere deliria, vigiliae, convulsiones, dolores capitis, vomitus, & multa alia, quorum impetus non raro tantus est, ut caussarum morbus carum naturam induant. Post eruptionem cavendum, ne qua detur variolis retrocedendi occasio, sed ut excrescant & ad suppurationem perducantur, maturataq; exonerentur, ne pus diutius retentum acrimoniam acquirat, & partes subjectas erodat. Faciendum quoq; ut crustæ emolliæ promptè abscedant, ulcera, quæ non raro existunt, sanentur, & deniq; vitiösi coloris ac cicatricum causâ necessaria præsidia non negligantur.

28. Primo scopo ut satisfiat, alvis ante omnia erit subducenda & primæ viæ emolliendæ. Vænæctioni in hoc affectu locum dare non possumus, nisi æger adultus fuerit, & vehemens admodum sanguinis vitium, malignitas verò minor: partim quod naturæ motus ita impeditatur; partim quod pueris minus convenire videatur venæctio: illum namq; effectum, quem spontanea hæmorrhagia quandoq; adfert, ex venæctione promittere non licet. Unde meritò improbamus, quod quidam scriptis evulgatis profiteri non verentur, venæctionem non solum plurimum juvare, sed & absolutè esse necessariam, adeò ut præcipua spes auxiliij in variolis penes illam sit. De purgatione per cathartica in specie sic dicta idem ferè sentimus: perraro namq; illa opus est: sufficit primas expurgasse vias per usum mannae, syrup. rosar. aut violar laxativi, per tamarindos & alia hujus generis. Vel injeccitur conveniente quantitate clyster ex decocto hordei, vituli, aut pulli cum particula cassiae, vel mellis mercurialis, aliisq; præsenti scopo idoneis. Ebullitionis

Cura.

tionū.

scopi.

B

tionis

8

tionis immoderata remedia exhibebunt acetosa, endivia, succus citri, syrups granat, acidorum, cerasorum. acid. de ribibus, de rubido: Semina item frigida majora ac minora. Atque hoc faciendum statim in principio, primo & secundo die, priusquam natura ad expellendum se accingat. Atque etiam si haec conatur naturae adversari videantur, usus tamen eorum intermittendus non est, si necessitas hoc praesidium efflagitet, &, cum fervorem mitigantia ac pustulas expellentia diversis temporibus administrantur, incommoda illa non adeo metuenda sunt. Quin potius accedit, his praetermissis, ut febris invalefacat, vigiliae, deliria, cephalalgia, sitis, inquietudo, dyspnœa, & alia hujus generis symptomata augmentum capiant, viresque statim in initio dejiciant, quas tamen conservare in primis oportet, ut ferendo morbo, qui reliquias est, sufficere possint.

29. Pro obtinendo secundo scopo videndum, quomodo in expellendo natura se gerat, quæ si sponte materiam noxiā excludat, idque agat mature, & sufficienter, quod febris & symptomatum, quæ aderant, remissio indicat, non opus est illam multis medicamentis fatigare, sed præstat naturae totum relinquere negotium, ut facere jubemur aphor. 20. s. i. At si segniter agat vis expultrix, persterque in suo vigore febris, & scopè memorata trium facultatum symptomata, tum motus naturae erit juvandus iis, quæ materiam fundunt, meatusque aperiunt, ubi tamen maximè temperata eligenda, vel, si eorum copia non detur, admiscenda refrigerantia, quibus inest vis malignitati resistendi & vires roborandi. Ex quo censu sunt sequentia: Lapis bezoar Orient. C. C. ustum, terra sigillata, margarita, semen aquilegiae, napi, citri, aqua card. bened. fumariae, scabiosæ, calendulæ, scordij, florum lini, sambuci, ficuum & cicerum decoctum, ut plura non attingamus. Sed usus horum esse debet tum demum, quando sanguis maximam partem defervuit, facta boni à vitioso separatione. Vires si confortatione egent, praeter modum enarrata huic facient, quæ è violis, boragine, buglossa, & præcipue è centro arte præparati possunt, neque hinc excluditur confectio Alkermes & de Hyacintho.

30. Præservationem partium, quas salvas esse volumus, frigefacientia potissimum atque adstringentia perficiunt, appropriatis quibusdam admisisse. Ab internis ut ordiamur, intestinis ac ventriculo prospiciunt plan-

9

plantago, tormentilla, acetosa, pentaphyllon, syrups cydoniorum; myrtillorum, rob ribium & similia, lentes bis coctae in aqua plantaginis. Pulmoni debentur loch de papavere, de lentibus, syrups violarum, jujubinus, tabulae diatragacanthi frigidi, conserva rosarum, violarum, symphyti. Partes externae, in quibus tuendis laborare solemus, sunt oculi, nares, fauces, labia. Oculorum defensiva fiunt ex albumine ovi, aq. rosarum, plantaginis, semine sumach, si e falbo s. opio, camphora, croco. Os & fauces muniunt gargarismi ex decocto & aqua prunellae, plantaginis, rosarum, cum succo granat. melle rosato, diamoro, rob nucum. Labia inungenda mucilagine semen, cydoniorum cum aq. rosar. extracta. Ad narum defensionem primò adhibentur aq. rosar. plantag, bursae pastoris, fol. quercus, acetum rosac. unguentum album camphoratum: at si nares jam crustis infarcitae fuerint, tum emollientibus opus est vel ex ol. amygd. dulc. vel lil. albor. semen, lini, pinguedine capi, cremore lactis.

31. Ultima cura est, ut, apparentibus iam tuberculis, fiant, quæ in fine th. 17. notata sunt. Maturescant namq; magnitudinem idoneam adeptæ, nec facile ad interiora redeunt variolæ, modò frigidioris auræ impulsus declinetur, nec topicorum usu natura à motu avocetur. Maturæ sponte solent aperiri, quod si fiat in tempore, manuum opera non admodum erit opus: at si tardè natura hic agat, ipsæq; variolæ magnæ sint, multus item infestet pruritus & scalpendi necessitas, aperire variolas, evitandi majoris incommodi caussa, non dubitabimis. Crustæ cicatæ emollientur iis, quæ in fine th. proxime præcedentis proposita sunt, quibus accedunt ex herbis malva, althæa, parietaria, flores meliloti. Quando tardè sanescunt fundentes acrem jehorem, plurimum prodest pulvis myrræ inspersus. Ulcera crustis ablatis si relinquantur, commoda sunt ex emplastris Apostolicum, de minio, album coctum, dia-sulph. Rulandi, ex unguentis album camphoratum, de cerussa, de lithargyro. Ad foedum faciei colorem & maculas relictas adhibenda decocta fabarum, lupinorum, hordei, aq. fragor, scrophulariæ, sigilli Salomonis, flor. fabarum, fl. papaveris albi, linariæ, succus limonum, citriorum, aut aurantiorum, ol. ex vitellis ovorum. In foveis explendis & cicatricibus delendis vix quidquam cum successu tentabitur, si tamen, ut aliquid fiat, jubeatur, in principio, antequam nitidis occalescant, per pinguedines animalium & olea emollientia faciendum periculum.

32. Dice:

10

**Diæ.**

32. Diæta toto morbi decursu ita moderanda est, ut per omnia curationis scopis respondeat, vel certè illos non turbet, & proinde omnis aer frigidus excludendus, locus potius, ubi æger decumabit, calefaciens, nec permittendum, ut rejectis tegumentis corpus nudetur: qua in re tamen modus servandus, ne ægro morbum nostra culpa graviorem reddamus, aut periculosa accersamus symptomata. In principio victus sit parcior: in cibo juscula & hordeum decorticatum è primis sunt, in potu decoctum hordei cum sicubus, vel C. C. quo modo & cerevisia commodè præparabitur: Vinum enim hic affectus non admittit, in primis dum febris & symptomata vigent. Somnus moderatus, uti semper, ita hæc vel præcipue juvat: quare si is in principio nimius fuerit, odore aceti rosacei ægrotantes ab eo arcendi, sì parcior, aut planè nullus, ebullitionem esse nimiam indicatur, proptereaq; temperandam. Inter affectus animi tristitia, metus & consternatio sedulò vitanda. Alvi segnities clysterum ac glandium, vel etiam lenientium supra propositorum usu exsuscitanda.

**Morbilli.**

33. Solent auctores, dum de variolis agunt, simul includere morbillos, quod causa convenient, & eadem sit utriusq; mali curatio. Quæ quidem nos non improbamus: interim tamen, si quis accurata mentis indagine causas excusserit, deprehendet omnino aliquam morbillorum à variolis differentiam: velocius quoq; plerunq; properant ad statum, nec tam prolixa atq; operosa egent curatione, quemadmodum variolæ: rarum quoq; est ex morbillis convalescentes in organis sensuum vel partibus motui destinatis lædi, sicuti qui variolis laborarunt, læduntur frequenter.







plantago, tormentilla; aetosa, pentaphyllum, syri myrtillorum, rob ribum & similia, lentes bis coctis. Pulmoni debentur loch de papavere, de lentrum, jujubinus, tabulae diatragacanthi frigidi, conservum, symphyti. Partes externae, in quibus tuendis sunt oculi, nares, fauces, labia. Oculorum defensio ne ovi, aq. rosarum, plantaginis, semine sumach, si phora, croco. Os & fauces muniunt gargarismi prunellæ, plantaginis, rosarum, cum succo granat. me ro, rob nucum. Labia inungenda mucilagine semini, aq. rosar. extracta. Ad narium defensionem primò sar. plantag., bursæ pastoris, fol. quercus, acetum rob um camphoratum: at si nates jam crustis infarctæ lalentibus opus est vel ex ol. amygd. dulc. vel lil. albo quedine capi, cremore lactis.

31. Ultima cura est, ut, apparentibus jam tubercu ne th. 17. notata sunt, Maturescant namq; magnitud eptæ, nec facile ad interiora redeunt variolæ, modò si pulsus declinetur, nec topicorum usu natura à motu tæ sponte solent aperiri. quod si fiat in tempore, n admodum erit opus: at si tardè natura hic agat, ipsa sint, multis item infestet pruritus & scalpendi necessitas, evitandi majoris incommodi caussa, non dubitate emolliuntur iis, quæ in fine th. proxime p̄asunt, quibus accedunt ex herbis malva, althea, parieti loti. Quando tardè sanescunt fundentes acrem jet prodest pulvis myrræ inspersus. Ulcera crustis ab commoda sunt ex emplastris Apostolicum, de minio, sulph. Rulandi, ex unguentis album camphoratum, d gyro. Ad foedum faciei colorem & maculas relictas fabarum, lupinorum, hordei, aq. fragor, scrophulari flor. fabarum, fl. papaveris albi, linariæ, succus limon aurantiorum, ol. ex vitellis ovorum. In foveis expel delendis vix quidquam cum successu tentabitur, si tan jubeatur, in principio, antequam nimis occalescant, nimilium & olea emollientia faciendum periculum.

